HERODIANUS
Italien, Ende 15. Jh. Seite 38r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8302
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



vitam a Seuero geste, fecere Argumentum. Mihi
contra multorum Imperatorum per Annos Septuaginta
iam gesta componenti, ratio est ea scribendi: quae
ipse scivi. Quare occultiora et quae utilitate aliqua
ex parte habent Seueri facta in sequenti Libro enarrabo:
nihil ad gratiam inaltum efferens ut plerique fecere.
Qui de illo scripserunt: nihilque relinquens: quod
sit oratione et memoria Dignum.

Herodianus.

Veritas historiae:

Herodiani Clarissimi Historici Ab Antonio Bonfine
Ciue Asculano Traducti De Imperatoribus Roma-
nis Liber Tertius feliciter Incipit.

De Morte Pertinacis: De Iuliani exitio: De
Seueri in Vrbem ingressu: Deque in Nigrum
expeditione, superiore libro demonstratum est. Postquam
Nigro nil simile expectanti nuntiatum est: Seuerum
Vrbem occupasse: A senatu Imperatorem designatum:
omnemque exercitum, qui in Illyrico erat: Ceteras
denique terrestres Naualesque copias contra se con-
uertisse: In maxima nimirum perturbatione versabatur.
Ad gentium Praefectos Litteras mittit: quibus
omnes aditus portusque custodire iubet: Item ad